



## BENIGNO LECTORI

CHRISTIANUS MENTZELIUS.

S. P. D.



**I**ndicem hunc Botanicum Polyglot-  
tum, tantummodò Herbarum Nominibus con-  
stantem, filio meo, *Johanni Christiano*, exercitii  
solum causâ ulterius elaborandum initio tradidi,  
ut ex eo aliquam Rei Herbariæ cognitionem tot  
excerpendis Nominibus & evolvendis Auctori-  
bus sibi acquireret: nec erat animus, hanc ob cau-  
sam publicæ illum luci exponere tanquam rem abjectam. Postquam  
verò ex laboribus hisce, in gratiam alterius, usum aliquem, non penitus  
contemnendum, per sensu, placuit, amicorum quorundam suasu, typis  
mandare opus, magnis quidem laboribus inchoatum, sed abruptum,  
non perfectum, nec à tarda Posteritate forsan consummatissimè absol-  
vendum, cum indies in Re Botanica suboriantur nova & addenda, tam  
verba, seu nomina, quàm subjecta, sive res ipsæ. Tanta enim Rei Herba-  
riæ Amplitudo, tanta ejus Arcanæ Scientiæ obscuritas est, ut humana  
mens eam vix comprehendere, aut certius quidquam de ea pronuncia-  
re possit. Unde non mirum, si Auctores, qui de ea scripserunt, & rebus, &  
verbis, quandoque errores adposuerint, quos omnes corrigere, non vi-  
sum fuit operæ pretium, nec lubuit: cum errare humanum sit, atque ego  
errores etiam meos agnoscens, Momo aut Zoilo cuidam, trabem in ocu-  
lo suo non animadvertenti, deprecari hinc nequaquam decreverim. No-  
vi enim, & missis cæteris erroribus, hoc opere didici, quot modis typothe-  
tæ peccent, erroresque bis, ter, & pluries correctos, nihilominus commit-  
tant: adeò ut, quemadmodum homo sine peccatis, sic liber omnis sine  
mendis, existere vix possit. Jussi igitur ex Auctore optimis & quibus-  
dam Lexicis Nomina, additis eorum Locis, excerpere, & in Indicem col-  
ligere, prout reperirentur, sive essent vitiosa Typographorum, sive ipso-  
rum Auctorum, culpâ. Quisquis autem pruritu aliorum vitia corrigendi  
laborat, gnarus præsertim Linguarum Orientalium, Arabum, Sinarum  
& cæterorum populorum, in quorum scriptis, voculis, literisque, ac-  
centus, punctulum, vel lineola, aliter atque aliter locata, totum sæpius  
immutare solet vocis sensum, copiosam hinc forsan reperiet taxandi, ver-  
baque vel publicò vel privatò suò commodò corrigendi materiam.

(a)

Nos